SANCTISSIMO PATRI, AC DOMINO CLEMENTI X. PONTIFICI MAXIMO.

Post devotissimum Pedum osculum æternam felicitatem.

QVÆ excitata est Romæ invidiæ, calumniarumque adversus me tempestas, in causa est, BEATISSIME PATER, vt serius fortasse quam expediret, ad sacros Sanctitatis Vestræ pedes humillimè me sistam devolutum. Redditurus mei, meique muneris rationem, Summum in Terris Fastigium, Religionis Principem, Christi Vicarium, certè præter opinionem, interpellare cogor: at in gravissimorum criminum, negatæ scilicet Apostolicis Constitutionibus obedientiæ, violatæ etiam Catholicæ Fidei, atque adeò in turpissimam hæreseos suspicionem vocatus, pro devotissimâ mea Supremæ Potestatis observantiâ, facere non possum, quin fœdissimam insimulationem depulsurus, gravissima rationum momenta, quam possim brevissimè, ac modestissimè Sanctitati Vestræ repræsentem. Tacui hactenus, in ipso quippè exercitij mei devotus exordio, certa meæ conscientiæ fretus innocentia, causæque ductus integritate: oblatrantibus tamen num etiam æmulis, remque per se claram religiosis in speciem, sed planè fallacibus, ac fictitijs argumentis obscurare pergentibus, ne sanctum noceat silentium, verè castèque sermonem instituere decrevi. Et vt causam, præludijs abscisis ingrediar, idcircò dumtaxat, BEATISSIME PATER, nequissima illa conijciuntur in me facinorum monstra, quod Regis Catholici nomine, à Regijs eiusdem in Catholicissima Provincia Senatoribus, Generalis Vicarius, Archiepiscopo defuncto designatus, Archiepiscopalem exerceo Sede vacante iurisdictionem. Hoc totius accusationis vnum est caput: quod si, vt par est, attentè diligenterque perpenditur, difficilè dictu est, vtrum Rex Catholicus, Sapientissimus eius Senatus, & Religiosissimum Aragoniæ Regnum, an potius privatus quidam ipsorum mandatis obediens, sævissimis tantæ criminationis telis proscindatur? Quæ cum ita sint gaudendum mihi esse iam video, quod non tam privata mea, quam publica illorum agatur causa: in qua vt mirum non esset Sapiens licet vnius ingenium labi, ita credi non potest, Firmissimum Ecclesiæ Catholicæ Præsidium, Consultissimos Iuris, Æquitatisque Administros, devotissimam omnibus sœculis Romano Pontifici Celtiberiam turpiter aberrare. Quod vnum argumentum quamvis satis mihi erat, vt iniustissimis adversariorum neglectis expostulationibus, fidem, & meam adversus Divi Petri Successores observantiam illibatã consistere, omnibusque, maximè verò Sanctitati Vestræ probatam intelligerem, eam tamen amplius probaturus, iam non tam meam, quam Regis, Regij Senatus, Regnique æquitatem ostendo: Iustitiam enim qui semel viderit imperantis, dubitavit nunquam nomen, Famamque obedientis iniquissimè traduci. Totius controversiæ summa hæc est: an Regius Senatus, Ecclesiasticæ Iurisdictionis Administros designare possit? Quod si planũ fiat, res tota citra controversiam facilè constabit. Id autem per Arago-

niæ

niæ Foros (sic Leges nostras vocamus) Sedis Apostolicæ numine, & Consilio stabilitos, illi licere, negabit nemo, nisi in rebus nostris omnino peregrinus, & hospes: per illos enim Ecclesiasticas causas possessorias cognoscere ipsi permittitur: eo nomine Ecclesiastica iura ita apprehendit, vt & Apprehensione (Sequestrum vocant alij) stante, vtrique partium illis vti, gravissimis sub pœnis, inhibent, & ad ea administranda Ecclesiasticos homines, eius muneris capaces, eodem iure constituat. Hæc Aragoniæ Fori: quare eo iam devenimus, vt de Legum æquitate contentio tota instituatur. Hic verò eccui maximè Hispano, quid dicam Aragonio, nisi rerum suarum studio obcæcatissimo, de earum Iustitia dubitare veniat in mentem? Pijssima ferè omnium Provincia, profuso Innumerabilium Martyrum sanguine, sub ipsis Ecclesiæ, nascentis nescias an morientis incunabulis, nobilitata; Constantissima Fidei Catholicæ Religione, sub iniquissima Mahometanorum servitute, illustris; Infensissima Sarracenorum Debellatrix, hæresum omnium expers; Viris Sanctissimis, omni memoria refertissima, contrarijs Ecclesiæ Romanæ legibus administretur? Ecclesiam etiam ad capitis discrimen generose propugnet, eamque Civilibus suis institutis demoliatur? Planè hæc qui sibi persuadeat, persuadebit, & sibi clarissimam Mundi facem, sub Meridiem vniverso terrarum Orbi, plusquam cimmerias tenebras obducere: quo quid absurdius? Deinde dictam Ecclesiasticarum causarum cognitionem, consuetudo, & immemorialis possessio, Sancta Sede Apostolica tolerante, legitimè præscripta, quam dicti Fori, Authoresque nostri pari consensu supponunt, haud dubiè convincunt. Extant antiqua, recentiaque exemplaria: Serenissimo Principe D. D. Ferdinando ab Aragonia, Archiepiscopo Cæsar-augustano, flagitante, Curia Iustitiæ Aragonum Anno iam 1559. Cæsaraugustanam D. Encratis Paræciam Episcopaliaque eius iura apprehendit, atque ad illorum administrationem, Barbastrensem Episcopum Commissarium Regia authoritate renuntiavit. Pendent hodie etiam in eodem Senatu apprehensiones duæ Locorum Militum. D. Ioannis, altera Turiasonensi Episcopo, altera Illerdensi flagitante, in quibus Ecclesiastici Administri, à Regio Senatu designati, Iurisdictionem, super qua contenditur, exercent; quin vlla dubitationis mota controversia legitimis designationibus non aquiescat, excludendo, vel quærelis auditum, vel derogationibus locum. Quod D. Ioannes Franciscus Dios, Canonicus B. Mariæ de Pilari, Reverẽdæ Cameræ Apostolicæ Coadminister, Regnique nostri Deputatus, etsi in sui muneris exordio ad recipiendam, de more, excõmunicationis sententiã, Apprehensionis (vt dixit) inscius, Vicario Generali non præbuisset assensum, illius, & Designationis in posterum conscius, arguẽtibus in Prætorio Consenatoribus, quin pertinaciæ vitiũ amaret, publicè retractavit errorem. Et quod mirandum magis est, ipsimet, Prior scilicet, & Canonici B. Mariæ de Pilari, vix quidquam Iurisdictionis in reliquos Ecclesiæ suæ Clericos habent, quam ex Commissione Regij Senatus, Apprehensione intercedente, nõ obtineant. Et dubitarem ipse commissum mihi Generalis Vicarij munus, Archiepiscopalibus iuribus manu Regia apprehensis, citrà piaculum violatæ fidei, obedientiæque, gerere me tuto non posse? Quid quod Aragonensium Leges, cum adhuc fluctuantibus rebus, Celtiberorum corda vagarentur, sub antiquis Principibus Adriano Pontifice Maximo consulto anno 724. ne aliquid discordiæ permaneret Ennecus Arista Suprarbiensibus exarasset, vt non solum ambas iurisdictiones otiosa dilectione coniungeret,

ret, verum etiam mutuis viribus adiuvaret. Quid quod Aragonij Fori purè sæculares non sunt, sed Ecclesiastici Sæculares: equidem cum ad eorum institutionem omnium ordinum homines conveniant, Sacri ante omnes vocantur Prælati, Canonicique, ex quibus Prælatus, qui Primas tenet, Generalibus Regni præest Comitijs: quare Ecclesiasticis consentientibus ecquis iure vereatur Leges Ecclesiastico Iuri repugnantes latas esse? Quid quod Foros, & consuetudines istas, sicut & reliquas Aragoniæ, Martinus IV. Summus Pontifex, afferente Hieronymo Zurita diligentissimo rerum nostrarum Historiographo *lib. 4. Annali cap. 41.* amplissima, & admiranda confirmatione comprobavit? Quid quod cum Petrus Cardinalis Fox Martini V. Legatus in Concilio istorum Regnorum (ad extinguendum Petri de Luna Schisma) Dertusæ celebrato, inter alia statuisset, vt Alphonsus Aragoniæ Rex iuratus promitteret se nunquam contra immunitatem Ecclesiasticam Leges laturum, Rex autem Concilio paruisset, exceptis tamen casibus, in quibus vel ex iuris præscripto, vel ex Regnorum suorum consuetudine eas posset indicere; huiusmodi deliberationem, non Legatus tantum, & Concilium probarunt, sed Christi Vicarius Romæ postea in Purpurato Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegio impensè dilaudavit. Author est gravissimus Henrricus Spondanus Episcopus *in Continuat. Annal. Ecclesiast. Cardin. Baron. ad ann. 1429. num. 3. fol. 798.* Quid tandem, quod occurrente dubio an Forus Apprehensionum, anno 1461. stabilitus, loca etiam, ac Religiosa, & fiduciaria iura Militum D. Ioannis comprehenderet, Comitiaque anno 1547. celebrata affirmativam partem ea lege declarassent, vt Summi Pontificis confirmatio expectaretur, eorundemque Religiosorum Militum precibus, Comitiorum Decretum, Bulla data aqud Sanctum Petrum Kal. Iunij Anni M. D. LX. Pius Papa IV. comprobavit? Qui Forus si Ecclesiasticis rebus repugnaret, nunquam Authoritate Apostolica ad religiosas etiam protenderetur: quod cum perfectum est, liquido apparet Ecclesiasticas Apprehensiones à Romano Pontifice sæcularibus nostris Iudicibus permitti: vt mirū non sit Augustinum Barbosa vtriusque Iuris scientissimum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Administrum, Apostolicæ Iurisdictionis, atque Ecclesiasticæ immunitatis vindicem strenuum *lib. 1. de Univer. Iur. Ecclesiast. cap. 39. §. 2. num. 174.* pronuntiasse, possessoriam cognitionem Ecclesiasticarum causarum ad Aragoniæ Tribunalia Indultis, & Apostolicis Constitutionibus pertinere. Neque verò cuiusquam mentem retardare debet trita, è trivioque accepta obiectio, nimirum Sæculare Tribunal Spiritualem, qua non gaudet iurisdictionem nemini communicare posse. Errant enim turpissimè quotquot in ea sunt hæresi, vt existiment designato à Senatu Regio pro Ecclesiastica iurisdictione Commissario, Senatum ipsum eam iurisdictionem impartiri. Designat quippè personam dumtaxat, potestatem verò Summus Pontifex ex privilegiaria Apprehensionum notione, vel ex Iure communi (pro varietate sententiarum) elargitur. Quod autem sæculares homines eam designandi facultatem obtinere possint, ecquis vertat in dubium? Etenim si (citra præsentem litem) Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ, Sede vacante, Generalem Vicarium electuri, quod discordarent omnino ipsi, communi consensu decernerent, vt quem Serenissimus, ac Religiosissimus Princeps Ioannes Austriacus, designaret Vicarius existeret, legitimam istam designationem arbitraremur, quare non item in hac specie, in qua vbi ad Apprehensionem partes venerunt, omne ius suum eligendi in posterum, quandiu duret Apprehensio, in personam à Regio Senatu

natu constitutam pari voluntate transfuderunt. Idem planè ostendunt frequentissima eligendi sibi Confessarium privilegia, quæ non vni, aut alteri sæculari homini tantũ, sed toti etiam familiæ Sedes Apostolica concedit. Eadem ergo Ecclesiasticas Apprehensiones Aragonijs Sæcularibus nostris Iudicibus dum indulget, eam gratiam haud communicabit? Quod sanè negabit nemo, nisi qui Sedi Apostolicæ, Divinum Imperium, & Maiestatem denegaverit, effusamque in Regem Catholicum Ecclesiæ Primogenitum munificentiam, summo Fidei zelo, & ferventi Religionis ardore, immensisque suorũ Regnorũ sumptibus promeritã recusaverit. Et qui aliter sentiũt prorsus ignorant quantũ materna Sedis Apostolicæ indulgentia deferat Charissimis filijs Principibus Catholicis, & sub specie Religionis, Sacerdotium, & Imperiũ fœdissimo vulnere dissociare conantur. Ex quibus manifestè conficitur, PATER BEATISSIME, tantum abesse me, dum impositum à Senatu Regio Generalis Vicarij munus administro, vt Apostolicæ Authoritati quidquam detrahã, vt non nisi Authoritate Apostolica Pro-Archiepiscopo deserviam. Quæ cum ita sint, videat quæso per Deum immortalem Sanctitas Vestra, an hic iam iustissimè quærar, & expostulem accusatores meos, cum in eo me vehementissimè Sedi Apostolicæ suspectum reddant, in quo si non laudandus, certè nullo sim iure condemnandus. Delegatis authoritate Pontificia Iudicibus morem gessi, illis profectò, quibus si parere reluctarer, fortassè temporalium omniũ proventuum sequestratione molestare me possent, & vel invitum ad obedientiam adigere. Hæc tamen gravissima incommoda, si vel levissimè Iudicum Decreta Supremam Apostolicæ Sedis læderent potestatem, nullo apud me loco fuissent, cui nihil est antiquius, quàm Christi Vicario, etiam cum vitæ dispendio, ad vltimum vsque spiritũ obtemperare. Quare si devotissima hæc mentis alacritas, atque ad ardua quæque pro Authoritate Pontificia subeunda animi præparatio quidquam valet, quàm possum infimis precibus Sanctitatem Vestram exoro, vt quem æmuli mei Ecclesiasticis censuris, pœnisque depræssum maximè contendebant, Apostolica Benedictione recreatum, in ea sententia confirmet, ad vlteriora promoveat, & si alicubi peccasse invenerit, Paterna benignitate admonitum, benè agere, vel correptus exoptem, & per Iustitiæ semitas ad vias Domini dirigat: quia difficilius errat ovis, quæ voces desiderat audire Pastoris: nec facilè efficitur vitiosus, cui admonitor insistit assiduus; quod vnicè mihi in votis est. Deus Sanctitatem Vestram ad vniversæ Ecclesiæ salutem, ad Miserorum perfugium, ad Christianorum Principum Concordiam, atque ad Fidei propugnationem quàm diutissimè servet incolumen, & meis annis plures annos tuos ipse temporum Pater, ac Dominus adiiciat, & de robore nostro tuum firmet. Cæsaraugustæ. V. Kalendas Septembris, Anno Reparatæ salutis M.DC.LXX.IV.

SANCTITATIS VESTRAE

Minimus, atque obsequentissimus Filius, & Servus,

D. Don Michael Marta, & Mendoza.